DE
VINIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXIV. M. IULII A. MDCCCXXIII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST
AUCTOR

HENRIC. ADOLPH. LANGHEINRICH
WEBAVIO - THURINGUS.

OPPONENTIBUS:
F. ERNERT, MED. DR.
C. WEIGEL, MED. DD.
G. ZIMMERMANN, MED. DR.

FORMIS BRÜSCHCKIANIS.

VIRO

B. F. LANGHEINRICH

POTENTISSIMO BORUSSORUM REGI A BELLI CONSILIIS ET REI FRUMENTARIAE PRAEFECTO

AFFINITATIS ET PATROCINII

NOMINE

PIE COLENDO

HAS

IUVENILIUM STUDIORUM

PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

Vinum 1) notissimus est potus spiritalis, uvis vitis viniferae Linn. paratus. Nomen eius apud veteres multis modis variatur. Sic a Virgilio Bacchus, latex Lenaeus vel Lyaeus, iisdemque adiunctis nominibus honor Lyaeus vel Lenaeus, Lyaeus etiam simpliciter ab Horatio, ab eodem et Terentio Liber dicitur. Merum, quod Horatius, Ovidius, Plinius aliique memorant, vinum intelligitur non temperatum. Meri latex Ovidio, Thyonianus Catullo vocatur.

---

1) Guil. Gratorolus Bergamotes: De vini natura, artificio et usu, deque re omni potabili. — Ant. Fumanelli Opera multa et varia, cum ad tuendam sanitatem, tum ad profligandos morbos plurimum conducentia. Tiguri 1557. — Idem De vino et facultatibus vini. Ven. 1536. — Schosulan. Dissert. De vinis. Viennae 1767. — Io. Ge. Krünitz Grosse ökonomische Encyclopaedie. —

Historia vini 2).

Vitis est frutex nobilissimus usque ab antiquissimis temporibus, et vel inde a Noacho primo, ut ferunt, insitus. Neque id quidem prorsus improbabile. Fidem enim faciunt Clardin, Tournefort et Gueldenstaedt, incultam se vitem in omnibus fere Georgiae et Armeniae montibus invenisse testantes. Inde in Syriam et Aegyptum inferiorem translata esse dicitur. Homeri aetate cultura vitium in Asia minore et maris Aegaei insulis fuit florentissima. Inter alia Homerus 3) in hortis Alcinoi vites viguisse atque idem 4), ubi scutum Achillis describit, in hoc agrum novalem cum agricolis vini potione gaudentibus aliumque agrum plenum vitibus pictum fuisse canit. In Germania vitem iam anno circiter LXXXII. p. Ch. n. innotuisse opinantur. Sed temere, credo. Nam certe quidem, si Tacitum audimus, in septemtrionalibus regionibus anno XCIX. nondum fuit cognita. In Gallia Vopiscus anno demum CCLXXVII. vitium insitionem concessit et ipse Almam quam

---

2) Athenaeus Deipnosophist. De vini inventione, usu ac natura. Lib. II, cap. 1.

3) Odxss. VII, 121.

4) Iliad. XVIII, 545 u. 561.

dicunt Illyrici vineam colere instituit. — Eodem tempore et in Hungaria et cis Rhenum vinearum conserendarum factum est initium.

De parandi vini modo 5).

Succus maturis expressus uvis, quod mustum appellant, vinosae fermentationi, qua in vinum ille sensim sensimque mutatur, est obnoxius. Ac maturescere quidem uvam Rozier e mutato petioli colore facillime cognosci iudicat. Mutari autem in spiritalem potum omnes liquores possunt, qui et saccharini mucosi sunt et insuper, ut Fabbroni atque Thenard existimant, glutinis aliquid sibi admixtum habent, quando, aditu ad aërem patente, calore fere LXX° F. tenente foventur. Dum fermentatur de quo hic sermo est mustum, si eodem loco servatur imperturbatum, aëre et calore, qui requiruntur, accedentibus, brevi tempore motu cietur interno; pelluciditas et claritas perduntur, gas carbonicum excernitur, quod propter tenacitatem substantiae, qua continetur, maximam partem inclusum manet et

---

5) Rozier. Mem. sur la meilleure manière de faire et de gouverner les vins. Paris 1772. — Add. Fabbroni. Del arte di fare il vino, raggionamento Florent. 1787. quod opusculum Germanice interpretatus est Hahnemann. Lipsiae 1790.

in vesiculas sive spumas liquoris aërem proximi abit.

Nonnullo tempore post cessat fermentatio, liquor rursus clarus fit et pellucidus atque saccharina mucosa illa materies, nisi nimis multa fuit, prorsus abest; in huius vero locum succedit alia materies spiritalis, quae inebriandi habet vim, Alkohol sive spiritus vini. Quodsi saccharum, ut Lavoisier demonstrasse satis videtur, gas carbonico, gas hydrogenio et oxygenio; gluten gas carbonico, gas hydrogenio et Azoto; spiritus autem vini, ut Saussure contendit, et tribus illis sacchari elementis et Azoto constat; gluten utique videtur ad fermentationem vinosam requiri, atque arctissima quatuor illorum elementorum coniunctione pariter ac redundantis gas carbonici seiunctione effici fermentatio.

In imo dolio, in quo fit fermentatio, resident faeces, quas vini matrem olim nuncupare consueverunt, falsa et noxia opinione ducti, eas solas posse vinum et salvum conservare et novum efficere. Iam vero inter omnes constat, omnis generis vinum faecibus rursus turbari, ideoque saepe defundi sive defaecari non sine magno quodam commodo. At tamen alterum altero magis defaecandum videtur; namque v. c. vinum Rhenanum multos per annos, quamquam

non defaecatum, servatur integrum 6). Omne vero vinum saepius est defaecandum, quod, etsi nullum superest signum fermentationis, tamen insensibilis illa seu consecutiva continuatur; ex qua clarum est, cur a recente vino vetus differat. Enimvero ita fit ferme, ut elementa coniungantur inter se arctius et alienissima quaeque secernantur.

Vinum ab aëre et calore remotum et, signis verae fermentationis nondum cessantibus purgatum faecibus et media fermentatione interceptum, ut in Campania (Champagne), ubi inter fermentationem lagenis bene munitis includitur, mussans efficitur, quo gas carbonicum abunde continetur, quod postea, aëri expositum et calori, erumpit. Rozier quidem illud spumosum eo fieri arbitratur, quod uvae, quibus vinum parandum sit Campanicum, priusquam sol oriatur aut certe quidem rorem et nebulam abigere coeperit, decerpantur. Sed dubiam rei explicationem tam alte repetere non est opus, quum non sit dubium, quin illud interceptione fermentationis et gas carbonici abundantia efficiatur. Accedit etiam, quod in vino ad exemplum Campanici e succo betularum, melle, malis aliisque pomis composito eae-

---

6) Io. Fr. Zückert. Allgemeine Abhandlung von den Nahrungsmitteln. Berlin 1775.

dem sunt spumae, quin sole exstinguantur. Immo etiam reliqui potus vinosa fermentatione parati omnes, quanto ea est consummatior, tanto facilius similes spumas agunt.

De diversis alia vina parandi rationibus suo loco dicere iuvabit.

De diversis vini generibus 7).

Vinum continet spiritum vini multa aqua et principio extractivo tam arcte iunctum et mixtum, ut imitari et simile quid miscendo componere nemini hactenus contigerit. Pro diversis cuiusque substantiae rationibus diversae vini species exsistunt, quae quidem omnes, ut supra dictum est, una plantae specie paratae, sed sedibus suis, itaque diversis regionibus atque adeo montibus, ergo solo et plaga, ipsa quoque diversis annis diversa, porro uvas colendi et mustum ante et inter fermentationem curandi modo, denique ratione vini fovendi eiusque aetate valde discriminantur.

Iam Galenus 8) vini genera colore, odore, sapore, coctura (Consistenz) et facultate sive virtute distinguit accuratissime. Caeterum omnes fere

---

7) Athenaeus I, 23 sq. De vini aetate, viribus et generibus. — Dioscorides V, 7. Vini natura, genera et facultates.

8) In Hippocrat. De Diaeta in acutis, Comment. I.

illius et seriorum temporum medici vini discrimina pariter eius facultate metiuntur, tria potentissimum e diverso caloris gradu repetentes, vinum primo, secundo, tertio gradu calidum. Hoc ultimum dixere siccum, quippe quod multum Alkohol et aquae parum contineret. In ea quidem divisione Arabes maxime errarunt et Latini discriminum causas e sola aetate deducentes et recens quodque vinum primo gradu calidum, vinum duorum, trium et quatuor annorum secundo gradu calidum, vetustius vero quodque calidum tertio gradu sive siccum iudicantes, plagae vero soli et curationis, in quibus inest primaria caussa differentiae, nullam rationem habentes. Tametsi vini virtus ac vis aetate multum augentur, tamen calidarum regionum vinum vigore et spiritu propter saccharinam, quae in uvis succrescat, substantiam plenissimum esse, omnino licet sumere.

Alii quoque vini genera aetate quidem dignoscunt, sed diverso modo, vina recentia sive nova, media, atque vetera sive antiqua noncupantes, praeterea etiam recentia non minus, quam vetera, noxia esse existimantes. Galenus 9) vina recentia minus valentia difficile in stomacho di-

---

9) De medendi methodo. Lib. VII et XII.

geri, vetera autem propter antiquitatem amara nutriendi vim amisisse iudicat. Dioscorides vina nec novitate nec nimia vetustate valentibus salubria esse dicit, sed aetate media, quae in vinis a septimo fere anno incipiat. Gratorolus vina ob vetustatem interdum naturam commutasse autumat. Illi etsi vino nimium recente uti recte vetabant, in vetere tamen iudicando errarunt, vetustatem vino officere opinantes, quum prava curatione vinum depravari non viderent. Nam vinum bene curatum quo magis veterascit, eo melius fit et calidius, et, si qua re, nimio ferrore suo, cuius illi nullam mentionem faciunt, videtur posse esse noxium.

Praeterea olim multa erant discrimina admodum arguta et subtilia. Primum colore vinum dicebatur album, nigrum, rufum, roseum, subalbidum; a sapore appellabatur vinum suave, dulce, sequens dulce, amarum, sequens amarum, acre, austerum, acutum, medium, acerbum, acidum et e variis saporibus commixtum. Sic Zückert etiam sapore discrimina constituit, dulce vinum dicens, acidum, subacidum, acidum dulci admixtum (süsssäuerlichter), amarum. Neque sufficit, quae olim ex viribus fieri consuevit, in vinum potens seu calidum, debile sive frigidum et

medium divisio, quae iam Avicennae 10) improbata est, qui hanc diversitatem ad bibentium diversum ingenium referendam esse dicit. Sine dubio autem medio sufficit et unice prodest, vinum pro eo, ac diversam cuiusque corporis, quatenus ea sub sensus cadit, naturam discernere.

Eo in genere praestant maxime:

a. vina adstringentia et aromatica, cuiusmodi sunt rufa paene ad unum omnia plena acidi gallacei et principii coriacei sive adstringentis. In his maxime excellunt vinum Portuense, Burgundiacum Burdigalense et huic propinquum montis silicei (Medoc), et praeter alia generis Biturici etiam nigricans colore sive Pontacense, quod raro ad nos genuinum perfertur.

b. vina, quae nutriendi et vehementer incitandi vim habent. Ea vel a natura vel arte sunt dulcia. Quorum illa non nisi calidis in regionibus proveniunt, ita ut in uvis substantiae saccharinae tantum crescere queat, quantum satis sit ad gignendam quam maximam spiritus vini copiam et tantum indigestae substantiae saccharinae reservandum, quantum opus sit ad illam nutriendi vim. Ea vina in quibusdam Hun-

---

10) Libell. de Viribus cordis, Tractat. I. cap. 8.

gariae regionibus optima quoque parantur. Neque enim antea uvas a vite decerpunt, quam corrugatae fuerint. — Haec vina in calidis regionibus crescentia, artibus adhibitis imitando similia parare conantur. Hinc vina cocta et uvis parata stramine siccatis (Strohwein).

Priora autem ita parantur, ut ad syrupi similitudinem decoquendo densentur, et dimidia fere musti non cocti aut etiam aliquanto maiori parte admixta fermentationi relinquantur. Hoc modo quum alia vina Graeciae, Italiae, Galliae meridionalis, tum praecipue Malacense parari solent. Si quid in vino decocto acidi superest, vino salvo ante fermentationem aliquid mellis adiungi potest. Sic Rozier. — Antea sapa et defrutum distinguebantur 11): sapa enim vinum appellabatur ex eiusmodi confectum musto, maturis uvis dulcibus expresso et ad tertiam partem decocto. Ad defrutum contra tale mustum adhibebatur, quod ad dimidiam tantummodo partem decoctum erat. Mustum autem ne in cupreis lebetibus decoquatur, propterea cavendum est, quod in iisdem mustum integram saepe noctem asservatur atque ita periculum est, ne ex cupro vinum venenetur. — Ea vina, quae straminea (Strohweine) dicuntur,

---

11) Gratorolus, De vini natura etc. Cap. 28.

in quibusdam prope Rhenum regionibus parantur ex uvis, ut siccescant, vel sub tecto stramineo suspensis vel in strato stramineo dispositis.

c. vina, quae molliter incitant, candida sunt melioris generis eaque iam vetera. Cuiusmodi praecipua sunt Rhenana, Mosellana, Franconica; etiam vulgaria Francogallica, Herbipolitana eorumque praestantissima, quae in vineis petreis (Steinberge) nascuntur (Steinweine).

d. vinum Campanicum, in quo gas carbonicum est largissimum, insignem quandam ut supra diximus incitandi habet vim.

Dioscorides 12) duo vina memorat, de quibus etiam Gratorolus et Fumanelli 13) mentionem iniiciunt, quae tantum non universalia remedia esse putabantur; ὀμφακη alterum, alterum ὀμφακίτης appellabantur, quorum utriusque nomine amarum et austerum vinum significabatur. Ac prius quidem illud uvis paratum ante maturitatem desectis igni aut soli opponi consuevit, donec coagularetur. Alterum uvis amaris, aliquam tamen partem maturescentibus expressum est. Prioris, quum vis in adstringendo potissimum esset posita, usui locus crebro fuit in hy-

---

12) Lib. III, Cap. 9. et Lib. V, Cap. 7.
13) Opera multa et varia. Lib. V, de Sylva Bacchi Comment. Cap. 4.

pochondria, oris ulceribus, purulentia aurium, stomachi inflammationibus, dysenteria aliisque malis sanandis. Utrumque etiam extrinsecus saepe adhiberi consuevit in morborum quos dixi ultimis, clysteribus v. c. additum. Haec fere vina et pessima quaedam alia, recentia et amara Galenus sine dubio voluit intelligi, qui quidem dubitare se fatetur, an unum sit in candidis vinis natura sua calidum, sed tamen haud pauca eorum et fervida esse et fortia non potuit non habere cognitum. Idem 14) vetus vinum a recente, candido et coacto ita differre dicit, ut illud eximiam calefaciendi, hoc manifestam refrigerandi habeat vim.

De universa vini efficacia.

Duo sunt genera illius, quae in vino consideranda est, efficaciae. Vino enim valetudo aut servatur firmaturque aut infirmatur et perditur. Diversae autem istius efficacitatis caussa aut in diversitate vinorum quaerenda est, aut in nimia exhaustorum poculorum copia. Bonum vinum vetus caeteris semper fere anteponendum videtur, curandum tamen est, ut ad rationem virium cu-

14) Galen. Comment. 3. de victus ratione in acutis, et Lib. de probis pravisque alimentorum siccis.

iusque vini et ad bibentium naturam accommodetur modica potio. Quod si fit, vinum, si quod aliud genus potuum, ad corroborandam valetudinem et augendam conducit maxime. Probe id iam noverat Homerus 15), Hecubam matrem Hectori defatigato vinum commendantem in carmine inducens, neque ignorabat Plato 16), vini usum valetudinis caussa concedendum ratus. Galenus 17) vini efficacitatem summis extollit laudibus atque etiam Plinius 18) digne praedicans: „vino," inquit, „alunter vires, sanguis colorque hominum; vino modico nervi iuvantur, copiosiore laeduntur, sic et oculi; stomachus recreatur, appetentia ciborum invitatur; tristitiae, curae hebetantur; urina et algor expellitur; somnus conciliatur; praeterea vomitionem sistit." —

Vinum autem bibere convenit senibus magis, quam pueris; viris potius, quam feminis. Iam Plato eam legem scribit, ut adolescentes ante octavum decimum aetatis annum vino abstineant;

---

15) Iliad. VI, 261.
16) Lib. de Legg. II. pag. 275. seq. ed. Beckeri.
17) Lib. III. de Temperamentis. — Lib. II. Aphorismorum, — de Sanitate tuenda. Lib. IV.
18) H. N. XXIII, 2.

et Galenus, quantumvis alias vini collaudet efficaciam, tamen 19) id tantum nocere pueris profiteatur, quantum prosit senibus. Avicenna eiusdem est sententiae. Milesii et Massilienses, Graecorum coloni, omnibus citra trigesimum aetatis annum viris aeque ac feminis vino interdixerunt 20). Haec quidem praecepta non omnino valent neque adeo severa sunt. Neque enim damno esse iuventuti nervorum et musculorum irritationem, sed prodesse potius, et ad digerendos cibos et nutritionem iuvandam atque ad morositatem animi tollendam (si necesse sit) multum conducere, testis est experientia. Nociva etiam eius efficacia admodum est multiplex et e duabus, quas supra dixi, conditionibus suspensa. Primum quod ad vinorum differentiam pertinet, eius maxime rationem habendam esse, facile omnes intelligunt. Ita vina, quae non omnino deferbuerunt, si mox bibuntur, non minus efficiunt colicam et diarrhoeam, quam vina herba Rutae graveolentis Linn. herba Artemisiae, Absynthii Linn. et aliarum specierum Artemisiae, aliisque herbis salutaribus condita, primis post vindemiam

19) Comment. Regim. V.

20) Vid. Spanhem. ad Callimachi Hymn. in Pallad. Lavacr. v. 45. Tom. II, p. 661. ed. Ernesti. Cf. Athenaei Deipnosoph. Lib. X, pag. 429.

hebdomadibus pota. Vinorum recens paratorum maxima quoque est in cute vis. In hoc genere potissimum valet vinum Rhenanum, quod qui bibunt homines praesertim peregrinos exanthemate obducit, scabiei simillimo. Rheni accolae, ei vino assueti, hoc malum non adeo saepe experiuntur, neque etiam ita respiciunt, ut alienigenae. Kali autem est, quo illud facillime sanatur, remedium. Praeterea illius generis vinum organa uropoëtica incitando dysuriam efficit et stranguriam. Etsi haec mala non amplius provocet, tamen in longum tempus organa concoctionis propter multum eius acidum tartaricum et kali tartaricum infirmantur et depravantur, sic ut ardor ventriculi, cardialgia et colica deinceps oriantur.

Porro vinum nimis vetus fervore et igne suo damnum afferre bibentibus potest, quia vinosum illud, quod inest, ita augetur, ut eius et aquosae substantiae magis magisque decrescat proportio. — Vina rufa, quum adstrictivas et aromaticas substantias complectantur, non modo alvum adstringunt, verum etiam variis in partibus sanguinis congestiones efficiunt. — Vinum Campanicum propter multum illud acidum carbonicum valde irritat, facile inebriat et profluvia sanguinis excitat. Cuius si quanta copia et a quibus bibatur deliberaveris, ita fere iudicabis: vinum quo vehementius nervos incitet, quo facilius cardialgiam

provocet, et quo impotentius post potum sanguis moveatur, eo magis obesse valetudini. Hanc multiplicem vini efficaciam sensim sensimque crebro usu minuit conseutudo et mollit, et hanc ob caussam a medico in considerationem vocanda est. Maior autem illa efficacitas plerumque ad aetatem iuvenilem et ad muliebrem sexum pertinet. In utroque enim fervidior temperatura corporis cum teneritate coniuncta inveniri solet. Apud Romanos igitur feminis, gravi poena proposita, interdicta erat vini potio. Hinc Egnitio Metello uxorem hac lege violata verberibus inflictis occidere impune licuit 21).

Si quis nimium pro naturae suae ratione vinum bibit, languescit et torpescit, irritationi non iam obnoxius. Ac quanto saepius quis hanc in partem peccaverit, tanto plus languoris paullatim relinquitur; languori comites adiunguntur tremor artuum, paralyses, immo etiam apoplexia repertinam invitat mortem. Hanc intemperantiam Plato in mente habuisse videtur, quum, vino minui memoriam et fatuitatem gigni ratus, magistratibus et belli ducibus vino frui vetaret. Item Julius Caesar 22) ea de caussa Suevos quondam vino abstinuisse memoriae prodit, alii-

21) Gronov. ad Gellii N. A. Lib. IV, Cap. 19.
22) Bell. Gall. I, 4.

que scriptores, qui in eius usu cautionem adhibendam esse arbitrantur. — At vero vinum vino fervidius est: unde diversa diversorum vinorum admittenda est potio.

De usu vinorum medico omnino.

Iam veteribus vinum insigne medicamentum esse non immerito visum, serius plane negligi coeptum est. Ita Hippocrates et Galenus eius usum in febribus asthenicis concelebrant; quorum ille id maxime salutare esse, adhibitis, quibus utendum ipse suasit, balneis calidis; sed prorsus vetat in febri intermittente quartana 23), cui morbo plane non congruum, alium quemque potum admitti posse existimans. Attamen iam Avicenna vinum his in febribus adhibendum putavit, quo concoctionis organa vires colligerent, et nos hodie interdum eius usui locum concedimus. Vinum merum i. e. aqua non temperatum aut, ut quibusdam placuit, ne musto quidem, nec nimium recente, nec veterno vino (depravato) mixtum, primo quidem non solebat bibi, sed duabus aquae partibus dilutum. Postea quam non nisi a veris medicamentis auxilium exspectare, et diaetae nullam in morbis sanandis rationem ha-

---

23) Hippocrat. Lib. I. περὶ παθῶν.

bere, in solo autem vino diaetam positam censere coeperunt, vinum in medicina omnino fere omiserunt, et, sicubi adhibendum putabant, importuno tempore bibi iusserunt aut nimis anxie.

Ante Frid. Hoffmannum omne vinum interdictum esse putabatur, si quis aegrotus, quanquam leviter, febri laboraret eaque ob imbecillitatem quoque orta vel durante. Ille igitur primus meliora nos docuit 24), illius opinionis perversitatem arguens, manstransque magnam illam vini utilitatem in asthenicis febribus. Nos hac aetate vino in acutis et chronicis morbis omnibus, virium infirmitate cognita, tamquam medicamento ad salubritatem aptissimo et maxime necessario utimur. Portio (dosis) autem morbo, vini genere, aetate, sexu, temperatura corporis et aegroti consuetudine moderanda, ponderanda atque constituenda, et effectu eius ac successu diligenter observato, mutanda aut retinenda est. Qui vino valde assueti febri asthenica maxime laborant, magnis saepe opus habent portionibus. Vinum omni tempore et vel ineunte morbo imbecillitatis caussa medicamentum, tum externum, tum internum

---

24) Frid. Hoffmann. Dissert. de Vini Hungarici excellente natura, virtute et usu medico; — Eiusd. Dissert. de Natura et praestantia vini Rhenani. —

usurpandum est. Quod si ad usum internum deligitur, probe videndum est, cuius anni sit vinum cuiusque virtutis, neque minus, purumne sit ac sincerum, et tum examinasse etiam iuvabit; id quod ad usum externum non est opus; nam si plumbum, alumen et alia, quae nocent, admixta fuerint, horum nihil tam large additum est, ut ad corpus reddundare et damnum afferre possit. Contra etiam illa optatam vini efficaciam plerumque adiuvant. Vinum quidem magis diaeteticum est medicamentum aliorumque medicaminum adiumentum, sed tam egregiam saepe, praesertim in hominibus aegrotis vino non assuetis, habet vim, ut, nisi sero in auxilium adhibeatur, et nisi falso deligatur in plurimis morbis, in quibus locus est medicamentis incitantibus, non modo sufficere, sed etiam caeteris praestare videatur, ut v. c. saepe in cachexiis. Olim fortia eiusmodi medicamenta, quum nimia cautione et magna anxietata in usum converterentur, non in tanto honore fuerunt. Nam si quando eo audaciae procederent, ut vinum sumi iuberent; quod plerumque faciebant, inventis demum status maxime putridi indiciis, pulsu arteriarum celerato, frequente, parvo, petechiis vel aliis maioribus nigrisque iam ecchymosibus apparentibus, colliquativis etiam excretionibus, aegroto auram odore cadaverino in-

ficiente, gangraena ex decubitu similibusque accedentibus symptomatibus, tamen non nisi exiguam vini particulam eamque plerumque etiam temperatam aqua dandam censuisse perhibentur. Nos hodie pro ratione vinum aqua dilutum vulgaris potus instar bibi, et merum, aut Calamo aromatico, cortici peruviano, Serpentariae, Senegae, Arnicae etc. infusum saepius sumi iubemus. Externus vini usus, ut de hoc quoque in universum verba faciam, in iis, quos commemoravi, morbis sanandis et in curanda universa quadam corporis aut locali imbecillitate nequaquam est negligendus. Sic in contusionibus sanandis, quando aegrotae corporis parti calefactum imponitur, eximium profecto est medicamentum, quod cavendum est, ne, quod prodolor! etiam nunc hic illic a quibusdam instituitur, articulis contusis applicetur. In his enim inflammatio quam primum extractione sanguinis facta aut rigido nivis instar fomento extinguenda est, quippe omnibus articulis parvis aeque ac magnis ad exulcerationem et cariem inclinantibus. Porro idem in paralysi, meteorismo in nonnullis apoplexiae speciebus et maxime quidem in nervosa sive Brownianorum asthenica, idem in tabe dorsali, asphyxia et compluribus aliis morbis nunc balneo nunc fomento additum utiliter adhibetur. Denique nostris tem-

poribus vino in veporariis locum concedendum esse arbitrantur 25).

De diversorum vini generum usu medico.

a. **Vina adstringendi facultate praedita et aromatica** ad musculorum imbecillitatem, cum nervorum infirmitate coniunctam, et interna et externa medicamenta maxime sunt salutaria. Hinc eadem in thyphis praesertim cum diarrhoeis sudoribusque colliquativis coniunctis; in acutis exanthematibus, variolis, morbillis, scarlatina aliisque morbis naturam putridam vel nervosam prae se ferentibus; in cholera, vomitu opio sedato; in dysenteriis putrido-nervosis, ut excretiones largae minuantur; in tabe dorsali; in convalescentia e morbis gravibus; in diversis diabetae formis usurpantur. In prolapsibus ani et uteri vinum eiusmodi maxime extrinsecus et in illius formae coecis, quas scirrhosas vulgo vocant, haemorrhoidibus, iisque inveteratis et tanquam coriaceis et cronico statu inflammatorio laborantibus; tum in hydrocele ac primum quidem in hydrope scroti puerorum, per vomentum, deinde vero li-

25) Kretschmann in Hufeland's Iournalen Tom. XX. Stück 1 pag. 53.

quore emisso in hydrope tunicae vaginalis propriae testis per iniectiones 26), denique in paralysi adbibetur.

b. Vina quae nutriendi et magnam incitandi vim habent, ad scorbutum aliosque eiusmodi morbos curandos pariter, atque ad vires senum sustantantas demendamque convalescentium ex morbo hominum debilitatem maxime accommodata sunt. Eadem videntur haec vina esse, quae Galenus calidorum nomine senibus commendat. Item Zückert 27) senibus Malacensis, Maderensis, Hungaricorum aliorumque vinorum usum suadet. In tetano, in quo multi magnam vini copiam adhibent, maxime etiam Maderense frugi esse visum est. Odier 28) Hispanicis potissimum vinis in subsidium vocetis non modo minuebat hydropem cavitatum cerebri, sed etiam sanabat. Ac referente Hildebrando 29), eorumdem adiumento multum sublevati sunt hypochondriaci. De quibus iam Grotorolus 30) idem fere praedi-

---

26) Bell; Monro; Richter; Sabatier memoires de l'Académie royale de Chirurgie a Paris. T. V. pag. 670. sqq. —

27) von den Nahrungsmitteln §. 101. sqq.

28) Sammlung f. pract. Aerzte T. IX. pag. 349. —

29) Hufeland's Journ. T. III. pag. 53 —

30) De vini natura etc. Cap. II, p. 13.

cat, ubi pro diverso modo, quo ad diversam corporum temperaturam valent, vina in diversas classes dividit: „secundum diversas hominum temperaturas, inquit, diversum est eis dandum vinum, quod specie ac proprietatibus alterum ab altero differat; nam sicut Melancholicis dulce, flavum odorumque convenit, quale est Arvisium, Lesbium, Apianum et huiusmodi" (illa enim hominum temperatura hypochondriae admodum affinis est) „ita biliosis sive cholericis et sanguineis album, oligophoron et similia" (nam album, quod leviter incitat, vinum, ut idem infra dicit, hepatis obstructiones removere musculosque simul et nervos corroborare videtur); „Phlegmaticis vetus, omnium praemeditatione habita." Hic vetustatis mentionem faciens haud dubie etiam vim vini et gravitatem in mente habuit. Ad hanc certe quidem postea revertitur.

Porro tametsi aetas puerilis vini usu excludenda est, sunt tamen, statu morbi, quo pueri laborant, vinum poscente, quaedam illius generis vina, quae, quum incredibilem nutriendi habeant vim, et eam quidem vel parvarum portionum propriam atque incitandi facultate maiorem, non dubium est, quin pueris multum prodesse possint et phthisicis: haec igitur, et raro genuina

ad nos perferri, et ob pretii magnitudinem ditissimis tantum commoda, ideoque rarenter usu venire dolendum est. Hinc etiam illa frugi esse posse scrophulosis videntur et rhachitide laborantibus. Eadem in phthisi pulmonali, sed propter perpetuum inflammationis spuriae statum, qui tunc in pulmonibus reperitur, magna cum cautione adhiberi debent. Haec autem vina sunt Capitale (Capwein) et ex insulis Canariis defrutum (Canariensect).

c. Vina quae leniter incitant, commoda sunt febriculosis, quibus incitamenta praescribuntur, morbis omnibus, atque adeo praestantissima omnium eius generis medicamenta et digna, quae, ubi febris asthenica subest, primum in curatione locum obtineant. Eadem porro extrinsecus luendo, lavando, fomentis, pura aut infusa cum herbis aromatibis adhibentur; ad fomenta enim vina et vetera et bona requiruntur, et tum maxime, quum vel infusa aliquamdiu stant, vel medicata, quorum loco vina recentia et vilia in vegetabilibus infusa facile mucescunt. Ceterum hoc in genere, quum nutriendi et vehementer incitandi facultate insignia parum extrahant, vinis leniter incitantibus locus conceditur.

d. Vinum Campanicum, in quo summa est vis incitandi et promta levisque efficacitas, si qua alia incitamenta, prae cae-

teris locum habet. Hinc paucae exceptae sunt febres nervosae, quae inflammatoriae esse cognoscuntur seu versatiles. Contra, ubi comites morbo sunt spasmi, utilissimum videtur. Minus aptum est in morbis chronicis propter nimiam efficacitatis brevitatem, sed in nonnullis eorum valde efficax. Sic vinum ob gas, quod habet, carbonicum urinae secretionem moderatur et auget, spastico fortasse statu impeditam. Ita fit, ut optimum sit medicamentum diureticum, atque in diversi generis vomitionibus, ex caussis spasticis et imbecillitate oriundis utilissimum. Usus illius saepius repetendus est et ad aegroti naturam vimque morbi accommodanda.

Vina medicata eorumque efficatiam ulterius persequi non vacat, quum non multum illa in considerationem vocanda sint, sed efficatia referenda sit ad solas substantias illas vinis ipsis solutas et extractas.

Superioribus temporibus moris fuisse vinum multis modis componere, apparet omnibus Gratorolum 31) legentibus hinc vero etiam mirandum videtur, quam imo loco chemia saeculo XVI. posita et quam ridiculae fuerint medicorum sententiae. Gratorolus inter alia; „vinum, in-

31) Cap. XXVI.

quit, ad procreandos pueros; vinum barbaricum, ad sanandum plagas solo potu; vinum ad memoriam reparandam et contra oblivionem etc.“

De artificiosa vinorum mutatione 32).

Artificiosae vinorum mutationis duo sunt genera, alterum emendationis, corruptionis alterum. Illud quod attinet, nemo iam dubitabit, quin adeo chemia nunc profecerit, ut vinum acido et austeritate, quibus vitiatur, demendis, addendisque, quibus caret dulcedine et spiritu, melius efficere possit. Quod quidem ante fermentationem faciendum est, ne vinum corrumpatur. Ea de re iam plura singulatim dixi. Sic v. c. melle musto addita mustoque tum demum fermentationi exposito, spiritus et dulcedinis plus vino conciliatur. Huc, quae supra commemorata est, vinorum coctorum et stramineorum paratio referri potest; huc etiam pertinet vinorum sulphuratio sive ustio, qua non corrumpuntur, nisi nimio sulphure aut malo addito. Sed de ea re postea dicam. Caeterum non nisi prodesse sulphur potest, quum incensum in auras leve abeat. Itaque sulphuratio est emendatio vinorum, quorum

32) Zueckert von den Nahrungsmitteln. Cap. IV.

quodque, quo magis salvum praestetur, sulphuretur necesse est. Superiori et hic illic nostro tempore nonnisi candida vina sulphurantur, quum, quem Rozier vanum esse dicit, metus sit, ne rufa colorem amittant suum. Sulphuris autem hoc est commodum, ut, quum, vino consumto, in doliis spatium vino vacuum plenum aëre esse coeperit, aëris oxygenium acido sulphuroso sulphuris combustione exorto adtrahatur, quo praeterea spiritus vini se coniungeret et in acetum vini sensim abiret. Ne hoc fieri possit, spatia quoque doliorum vino denuo replentur. Huc etiam pertinet sulphuris combustio in doliis, priusquam haec vino implentur. De emendandi vini rationibus multa litteris exarata sunt 33); quare non est, cur hoc in loco illustrando verser diutius, sed satis habeo lectores meos ad illos libros ablegare. Veniendum est enim iam ad locum, qui nostra multo magis interest, de vinorum corrumpendorum modis.

---

33) Vorschläge zur unschuldigen Verbesserung des Weines in Ludolphs 7ten Stück der siegenden Chemie. — Ausführliche, getreue und bewährte Anleitung zu einer gründlichen, unschädlichen, erlaubten, dauerhaften, wie auch vortheilhaften und leichten Verbesserung der Weine in Deutschland, zu Verhütung aller schädlichen Weinkünste, aus Liebe mitgetheilt von einem redlichen Deutschen 8. 1775. —

Vinum ut maximi est in medicina pretii genuinum et intemeratum summaeque medicamentum utilitatis, sic corruptione plurimum virium suarum amittit, immo vitiis, quae insunt reconditis valetudini magis nocet atque adeo saevi veneni fit simile 34. — Extenuantur autem vina e. g. aqua temperata, meliora et antiquiora recentioribus mixta et deterioribus. Hoc modo temperata non plane quidem officiunt valetudini, sed ita tamen, ut pro melioribus atque antiquioribus, quae aegroti a medico bibere iubentur, viliora bibantur et tenuiora. Praeterea etiam ad emendationem (Schoenung) quam dicunt, nonnunquam nocivae quaedam substantiae adhibentur, ne vina vetera et bona ex recentioribus et vilioribus composita in fermentationem abeant. In his maxime est, Boerhavio affirmante, cuprum sulphuricum. Calcinando sedimentum colorem non ut alia vegetabilia cinereum, sed rufum induit. Tum vina recentia, cruda, vapida, amara, acida, aquosa, fermentando depravata et quae in eo sunt, ut mutentur, dulcedine condire vel hebetare (abstumpfen), colorem eorum variare et spiritum augere conantur. Illud ut efficiant, multis utuntur ar-

34) Frank's, Pet. System der medicinischen Polizei. Bd. III. — Remer's Lehrbuch der polizeilich-gerichtlichen Chemie. — Quelmalz Dissert. de Vino mangonizato.

tibus. Primo loco **plumbi** hoc in genere perniciosissimi facienda est mentio 35), quo frequentissime utuntur vinarii, ut vinis nimiam aciditatem demant emendentque acrem et amarum saporem. Maxime candida, interdum vero vina etiam rufa, nisi acidum galicum vetat, horrendae illi et perniciosae temperationi sunt obnoxia, quod eo plumbum ex solutione praecipitatur. Idcirco plerumque haec tria plumbi praeparata usurpantur: a) Lithargyrum (oxydum plumbi semi-vitreum); b) Minium oxydum plumbi rubrum); c) Saccharum Saturni (plumbum aceticum, acidulum). Cuiusmodi vino multo si quis usus fuerit, appetitus ciborum corruptus et dyspepsia consequuntur. Quae eo in vino est contrahendi siccandi vis ventriculi et intestinorum obstructiones et indurationes efficit. Stercus humanum ovili et caprino fit simile, ex ore emanat odor peculiariter foetidus. Ad haec accedunt symptomata febrilia; dolores capitis vehementissimi; vertigo; deliria; sensibilitas et irritabilitas auctae, cuiusmodi sunt in arthritide. Tussis, angor et raucitas aegrotum cruciant et insuper spasmi multiplices. Sic abdomen eiusque

---

35) Leonhardi, vinorum alborum metallici contagii suspectorum doximasia repleta et nova 1797. — Zeller. De dokimasia, signis, caussis et noxa vini lithargyre mangonizati. Tübingen 4. 1707. —

umbilicalis maxime regio introrsum trahitur, insequentibus doloribus colicis sinistri potissimum hypochondrii. Musculi flexores et praecipue constrictores contrahuntur et ex horum contractione constrictorum, unde illa oriatur raucitas, facile intelligitur; contra vero paralysis musculorum extensorum et misera tandem ac lenta incidit mors.

Ut maxime terribilis est, quae e tali potu venenato nascitur, consequentia, difficillima curatio et morbus, si vis veneni iam altius radices egerit, plane non sanabilis; ita summum semper desiderium fuit, ut talis corruptela opprimeretur aut certa vitandae consequentiae via inveniretur. Gaubius quod vinum plumbo temperatum sit, sine ullo experimento certissima coniectura suspicari licere dicit. Ita vina Rhenana et Mosellana pro aetate et gravitate aequo adustioris sunt coloris, iusto dulciora et nimis vili pretio venalia. Id quod portendunt, quae statim sequuntur, tormina atque colicae, quibus quidem hypochondriaci homines et qui spasmis abdominis facile laborant, etiam purissimo quoque vino Rhenano aut Mosellano sumto, solent affici. Denique etiam acidorum vinorum atque ex uvis immaturis paratorum potio unicuique haud levia mala afferre potest 36), colicae Saturninae symptomatum similia.

36) Van Swieten. Comment. Tom. III.

Hanc ob caussam incertissima est omnis hoc in genere suspicio. Qua propter Gaubius tentandi vini caussa mixturam commendavit, postea Würtembergici vinorum experimenti nomine divulgatam, et ex auripigmento quidem, calce viva atque aqua pluviatili digestionis et saepius etiam coctionis ope compositam. Est igitur calcaria hydrothionato snlphurata arsenicalis, quae vino infusa nubem excitat albicantem et turbidam, sed tamen paullatim evanescentem; quam, si vinum corruptum fuerit, quo plus corruptelae habeat, eo magis rubescere et nigrescere neque serenari videbis. Sine dubio autem explorando vino optime inservit aqua sulphurato acidula sive liquor vini probatorius fortior Hahnemanni, quippe noxium quodque metallum insuper coarguens. Cuius formula, ut alias, sic in Pharmacop. Boruss. publicata est. Quae si bene parata fuerit, sereno colore erit, et odore ovorum instar putido atque metallorum solutionem in diversa agens praecipitabit. Atque illius quidem liquoris una pars duabus suspecti vini partibus admisceri solet. Quo facto plumbum in praeceps agitur, si non multum in vino infuerit, subfusco colore, sin multum, admodum fusco conspicuum (schwarzbraun). Si cui magna est vini hoc modo corrupti copia, certissima eius tentandi via haec esse videtur, ut primo illud evaporetur, deinde reliquae eiusdem

evaporati copiae tritus pulvis carbonicus adiiciatur, denique massa hoc modo composita in sartagine tecta valde candefiat. Ita si granum plumbeum enatum fuerit, non dubium erit, quin vinum plumbo corruptum sit putandum. Eiusmodi corruptio iam exeunte saeculo XV. Rotenburgi et Friburgi nota erat atque extremo saeculo XVII. in Suevia et in aliquot oppidis Württembergicis ita invaluerat, ut, qui vinis Rhenanis, Mosellanis et Nicrinis uterentur, a colica Saturnina corriperentur. Hanc Gockelius, Vicarius et Brunnerus morbi vinarii nomine dictam illustrare conati sunt. Ineunte saeculo XVIII., etsi idem morbus, ut colicas Saturninas sporadicas silentio praeteream, rursum grassabatur in Suevia, tamen fuere medici, qui veneficos istos vinarios tuebantur, Vogel 37) et Danus quidam medicus anonymus 38).

Reperiebantur duo prae caeteris novica in illis vinis metalla, arsenicum oxydatum album et hydrargyrum muriaticum corrosivum. Arsenicum illud oxydatum album, quo nihil humani corporis naturae potest esse perniciosius, forte fortuna raro et pariter atque hydrargyrum in solis fere vinis Hispanorum et defrutis (Secten) inveniri di-

---

37) Neue Medicinische Bibliothek. B. 4.
38) Triumph. Lithargyriatorum.

citur. Illud quod dixi arsenicum inprimis fibras musculares afficit, neque eas modo, a quibus prope abest, sic, ut v. c. stomachum aliasque quas attingit partes, non nimis magna dosi delata, dissolvat, sed etiam absorpta, praesertim parva portione, quae non potest delere, musculos extensores contrahit; hinc multi articuli immobiles, rigidi, resupini; itaque in lenta veneni infectione contrariam plumbo habet vim. Idem cordi potissimum nocet, quod haud raro inflammatur et tum in purulentationem facile abit; huius vis vitalis saepe adeo deprimitur, ut pulsatio eiusdem fiat spastica, et, si aegrotus vixerit diutius, morbi ipsius cordis organici ingravescant. Non raro consequitur febris hectica aut febris phthisica. Venenum vero aquae sulphurato-acidulae beneficio exploratur, qua illius solutio, sumto helvo colore aurantio, praecipitatur. — Hydrargyrum muriaticum corrosivum, ut reliqua praeparata hydrargyria, nisi nimiae portiones dentur, omnino hoc efficit, ut functionem systematis lymphatici, itaque paene omnes, praecipue vero salivalium glandularum, secretiones et excretiones augeat. Hoc ad systema musculorum, ut constat, habet infirmandi vim; imprimis vero tremorem muscularem gignit et, parva obstante vi musculari, saepe iam ante, quam eius vis in lymphatico systemate conspicua fuerit. Quae cito insequens imbecillitas

eorum opinionem labefactat, quibus illa auctis alvi evacuationibus oriri videtur, quippe his iam cognito tremore musculari nondum locum habentibus. Hoc quoque venenum eodem liquore probatorio Hahnem. fuscum nigrum praecipitatur, brevi tamen album colorem induens. Si alkalia et in his maxime liquor Ammonii carbonici aquosus ad solutionem eius adferuntur, in helvum pulverem mutatum praecipitatur.

Alkalia et terrae species, quorum ope acida saturantur, digestionem maxime infirmant. Kali (alkali vegetabile) non potest ullam afferre noxam, nisi plus admixtum fuerit, quam quantum postulet acidi tartarici superflui saturatio; alioquin, quantum crescit kali tartarici, non tantum est, ut valetudini possit officere. Quodsi kali istius vegetabilis nimia vino inest copia, idque continenter bibitur, omnium maxime organa concoctionis, postea etiam in universum vis muscularis debilitantur. Praeterea etiam integra ovorum putamina, quae kali carbonico maximam partem constant, vino iniecta aliquanto post promuntur. Horum haud magna est ad vinum neque ulla ad bibentium valetudinem vis. — Calx viva et creta alba congestiones ad abdomen, alvi obstructiones aliaque concoctionis vitia pariunt; eaedem, systemata lymphaticum et musculare debilitantes, ae-

demata gignunt et hydropes 39). — In terrae speciebus, quibus vinum corrumpitur potissimum excellit alumen vulgare, utpote solenne aeque ac maxime nocivum. Alumen, ut in monasteriorum Italicorum incolis clarissime observasse sibi videntur 40), congestiones ad abdomen et alvi obstructiones efficit. Hoc quidem rufis vinis additur, idque diversas ob caussas, nunc ut sapor contrahens vel pulchrior color concilietur, nunc ut quam diutissime serventur integra. Quod quomodo in vinis esse baryti acetici, liquoris hydrargyri nitrici et liquoris ammonii caustici ope cognoscatur, Scherf 41), Bertaud 42), Hahnemann et alii quidam explicant. Omnino earum quidem corruptionum non facilis est indagatio, praesertim si quis singulas harum substantiarum species dignoscere propositum habeat. Acidi auxilio sulphurici, quocum alkalia et terrae species facile coalescunt, haec albo colore nitentia praecipitari solent.

Denique ut vinum dulcedinem sapiat, dulci-

---

39) Ant. Platz. De removendis sanitatis puplicae obstaculis. §. III. —

40) Ramazzini de Virginum Vestalium valetudine tuenda pag. 691. —

41) Dessen Archiv. B. II St 1. — Dessen Beiträge B. IV St. 2. —

42) In Crells Chemischen Annalen 1792. St 1. —

ous substantiis conditur, sirupo, saccharo, passulis maioribus, succo mororum etc. Huius generis vina facillime et sodam, capitis dolores etc. progignunt, et e tenacitate agnoscuntur.

Vino colerando complura inserviunt vegetabilia. Ita deterius vinum candidum in rufum mutatur. Hoc, quo facilius pontacense esse fingatur, eo magis necesse est vinum album vi contrahendi aliqua fuerit praeditum. Qui sapor rebus contrahentibus augetur, ut baccis Ligustri vulgaris, ligno Santalino rubro (Pterocarpo Santalino Linn.), baccis Myrtillorum (Vaccinio Myrtillo Linn.), ligno Campechiano (Haematoxylo Campechiano Linn.) etc. et, ut sapor peramarus fiat, cortice quercus et salicis. Quae vina, etiamsi non plane obsunt valetudini, quod res, quae insunt, pro ea quidem copia, qua infunduntur corpori non nocent, tamen desunt, quod bonorum loco ruforum, quae aegroto praescribuntur, candida sumuntur deterioris generis. Partes coloris diuturniore situ praecipitantur atque color pallescit. Earum quidem corruptelarum accuratius discrimen constituere chemicis nondum licuit. Vinum saccharo, quod quum aqua coqueretur fuscatum est, admixto magis flavescit. At vel sic vinum turbatur et eo vino stomachus.

Vinis tenuibus et carentibus spiritu calorem variis modis student addere. Sic addunt spiritum

vini, qui quidem omnium maxime posse probari videtur, tamen non tam arcte cum vino coniungitur, quam post fermentationem conspicuo. Importunius est vinum coctum (Brantwein), quo si temperatum est vinum facile crapulam et post crapulam capitis dolores relinquit. Quale quum gustatur apicem linguae urit et vola manus tritum sicerae modo olet. Pariter aromata sanguinem calefaciunt, bibentes facile inebriant et postea linquunt capitis dolores. Haec saporem prae se ferunt vini apiani proprium. Denique etiam Atropa Belladonna, qua, qui utuntur, vino non minus inebriandi vim addere student, facile maiora mala potest contrahere potantibus.

Restat ut nonnulla quidem de vinorum sulphuratione haud levium malorum effectrice moneantur. Quae mala primum e nimia sulphuratione prodeunt, et in sanguinis ardore, in nimia nervorum irritatione, fatuitate, exanthematibus et inflammationibus cernuntur. Sulphuris in vino abundantiam ex eo licebit cognoscere, si quod putamen ovi a gallina recens parte eo vino immersum nigrum colorem traxerit; tale vinum etiam argento aqua forti soluto rubicundum, fuscum atque adeo nigrum redditur. Deinde vero etiam e malo sulphure originem illa ducunt, quale incensum non omnino evaporatur. Maxime enimvero optabile est, ut rubri et luculenti e viridi

flavi caloris sulphur vulgare vitetur, quo arsenicum oxydatum album continetur ideoque perquam suspectum videtur. Quid? quod nonnulli auripigmento uti non dubitant, quod non est, cur exponam, quam sit periculosum, nisi arsenicum quod secum habeat, accuratissime omni ex parte evaporatum fuerit. Batavi olim dolia vinaria arsenico, sulphure et colophonio incensis purgare consueverunt. Hinc internecinae dysenteriae illae.

Postremo loco commemorandum est, nunc ex variis pomorum speciebus vina parari et pro genuinis venire aut certe quidem admisceri genuinis atque complures esse hodie fabricas, hjs vinorum parandorum artibus occupatas.

CURRICULUM VITAE.

Ego Henricus Adolphus Langheinrich natus sum in vico prope Leucopetram, Webavia dicto, d. XXIII. mens. Februarii, anno MDCCXCVIII. Pater meus Joannes Danielis sacra Webaviensium curabat, sed prodolor! nuper certior factus sum, dilectissimum d. IV. mens. Octobr. h. a. obiisse. Matre Friderica Magdalena e gente Stallknechtiana adhuc superstite gaudeo. Primis literarum rudimentis domi instructus ab anno MDCCCXII scholam Cizensem per sexennium fere frequentavi, deinde anno MDCCCXVIII. d. XXVIII. mens. April. numero civium Universitatis Lipsiensis a B. Rosenmuellero, tunc temporis Rectore Magnifico adscriptus sum. Medicinae operam dantem me docuerunt: botanicen, mineralogiam et zoologiam Exp. Schwaegrichen; anatomiam theoreticam et practicam B. Rosenmueller atque Exp. Bock; anatomiam morbosi corporis humani Exp. Cerutti; anatomiam comparatam sicuti et physiologiam Exp. Weber. Scholos chemicas atque pharmaceuticas Ill. Eschenbach, physicas Cel. Gilbert frequentavi. In anthropologia Exp. Heinroth, in pothologia Ill. Kuehn, in therapia Cel. Puchelt, in materia medica Cel. Haase, in arte obstetricia Cel. Joerg praeceptores habui. Praeterea quoque scholis philosophicis Ill. Krug, mathematicis autem Cel. Mollweide interfui. Anno MDCCCXXI.

d. II. mens. Maii inter cives Universitatis literariae Berolinensis ab Ill. Lichtenstein, Rectore Magnifico receptus de chirurgia atque akiurgia praeceptores Ill. Graefe, Rust, Kluge atque Exp. Juengken habui. Ill. de Siebold in machina phantome me exercuit. Institutionibus clinicis Virorum Ill. Berends, Graefe, de Siebold et Neumann interfui.

Tentamine et examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine rite peractis, dissertatione conscripta atque more maiorum publice defensa, spero, fore, ut summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

1. Acari, qui in papulis scabiosis reperiuntur, neque pertinent ad scabiem, neque hunc morbum provocant.

2. Proxima caussa anginae pectoris dynamica est cordis affectio.

3. Cordis morbi organici, etsi nullae antecesserint inflammationes, attamen oriri possunt.

4. Somnus post coenam concoctioni ciborum non prodest.